

runt, quia esse in aliquo nos concipimus ut causam, ex qua tanquam effectum quoddam sequitur, posse de illo prædicari (verba hæc sunt Burgersdicii in Logica.) Hinc unum idemque est id quod *universale* vocatur, nempe quatenus multis inest, & quod *prædicabile*, nempe quatenus de multis dicitur: sed illud consideratur ut prius, hoc ut posterius, unde vulgatum dictum: *Omne dici requirit inesse.*

12. Not. 5. quòd illi qui definiunt enunciationem veram, *quæ pronunciat uti res est*, comprobent nostrum Majorem, utpote quæ nihil aliud vult, quàm ut pronunciemus sive judicemus, uti res est sive ut rei natura à nobis percepta requirit. Huc facit illud Clariss. de Neufville Physiolog. lib. 1. cap. 17. aph. 12. & præced. *Veritas rerum naturalium fundamentum est & radix intelligibilitatis earundem &c. ab eadem veritate seu conformitate rerum cum ideis, quæ in Deo æternæ sùnt atque immutabiles, prædicatorum essentialium & proprietatum cum suis subjectis, in unaquaque re, necessaria connexio, adeoque & propositionum quæ eandem exprimunt, æterna veritas dependet, ubi vides propositionum æternam veritatem in necessaria attributorum in re clarè intelle-*
 eta